



# INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLVII — VIII A DIE XV OCTOBRIS

INSTITUENDARUM.

---

PRAECEDEIT

DE REI SCHOLASTICAE AC LITTERARIAE IN VARMIA  
ORIGINE AC PROGRESSU

COMMENTATIO.

---

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

1857



# LYCEI REGII HOSIANI


LEKTURY DLA MŁODZIEŻI. WYDAŁEĆ CHIĘSTĄ W WIELU

WYDANIA IZD. W WIELU

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. MICH. JOS. KRÜGER,

PROFESSOR PUBL. ORDINARIUS.



LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS  
RECTOR ET SENATUS  
CIVIBUS SUIS

S.

**Q**uum multa in historia ecclesiae Varmiensis, dioecesum cum ordine Teutonico coniunctarum antiquus tam privilegiis quam amplitudine maxime conspicuae, non satis investigata vel exposita sint, tum rei scholasticae ac literarum quae hic origo fuerit ac progressio, minus, quam pro praesulum Varmiensium de literis ac juventutis institutione meritis, exploratum nobis videtur. De hoc igitur argumento, data scribendi opportunitate, non incommodum esse duximus, Vobiscum, Commilitones humanissimi, observationes aliquot communicare.

Primae tam Prussiae, quam Germaniae, scholae ortae sunt cleri studio doctrinae ac religionis christiana propagandae. Irrita enim fuisse evangelii praeconum opera, nisi scholas aperuisserent, in quibus tenerior aetas huius religionis amore imbueretur et popularis ex ipsis indigenis clerus educaretur. Hinc jam Christianus, primus Prussiae episcopus (1215—1245), simulac prima verbi divini semina in terra Culmensi sparsit primisque ecclesias parochiales condidit, nihil antiquius habuit, quam ut rei scholasticae consuleret juventutisque Prutenicae educationem et institutionem adjuvaret. Ipsius enim rogatu Honorius III. summus pontifex binis literis anno 1218 datis, quum universos Christianos, tum Germaniae, Poloniae, Sueciae episcopos et incolas monuit atque hortatus est, ut episcopo Prussiae facultates largirentur, quibus scholas ad erudiendos Prutenorum pueros institueret. „Quum soror“, inquit, „Ecclesia, quam in partibus Prussiae sibi Dominus adoptavit, adhuc parvula sit et ubera non habeat, ne lac doctrinae desit parvulis, qui nondum possunt solido cibo uti, Venerabilis frater noster, Episcopus Prussiae, ac fratres ejus statuerunt, sicut asserunt, prout valde necessarium esse constat, scholas Prutenorum instituere puerorum, qui ad gentem suam Domino convertendam addiscant efficacius, quam advenae, praedicare ac evangelizare Dominum Jesum Christum. Ceterum quum ad hoc sibi propriae non suppetant facultates, Universitatem Vestram monendam duximus et hortandam per Apostolica scripta mandantes ac in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus de facultatibus Vobis datis a Domino subventionis manum eis ad hoc pie ac liberaliter porrigatis, centuplum in via et vitam aeternam in patria recepturi<sup>1)</sup>“. Pariter etiam pueris educandis prospectum esse videmus. Quum enim adeo effera esset gens Prutenorum, ut filias suas servata unica necarent, idem Christianus episcopus pontificis opem imploravit ad comparandas facultates, quibus puellas ad necem destinatas a parentibus redimeret atque educandas curaret, et binis literis hoc quoque incepturnum ejus pontifex universis Christianis etiam atque etiam commendavit adjuvandum<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Cf. Voigt Cod. dipl. Pruss. I. 4 et 12.

<sup>2)</sup> Id. ibid. I. 5 et 12.

Quam a Christiano episcopo sic initam videmus viam ad eruditionem christianam propagandam et confirmandam, eadem ipsius populares, Germani, quondam rei christiana conciliati erant. Obsita erat inde a Bonifacii et Caroli Magni temporibus sensim tota Germania, ut ecclesiis, ita scholis monasterialibus, cathedralibus, capituloibus, parochialibus, indeque religio christiana in omnium animos penetrauerat. Omnes illae scholae, ut nomina indicant, ex ecclesiae gremio profectae erant; sed cum christiano simul humanum civilemque cultum atque eruditionem propagaverant. Ut enim Carolus Magnus, a doctis aetatis sua viris literarum amore imbutus, anno 789 „scholas legentium puerorum fieri psalmosque, notas, cantum, computum, grammaticam per singula monasteria et episcopia disci“ jusserset<sup>3)</sup>, ita Eugenius II. summus pontifex anno 826 universo clero lege preeceperat, ut suo quisque in oppido episcopus, sua quisque in plebe parochus, atque etiam aliis locis, ubi necessitas occurisset, clerus magistros ac doctores institueret, qui literas liberalesque artes docerent<sup>4)</sup>; similesque leges deinceps non raro tum a pontificibus, tum ab episcopis, tum a synodis latae vel repelitas esse constat. In parochialibus illis scholis tenerior aetas vel ab ipsis parochis vel ab administris eorum doctrinæ christianaæ elementis et, si non scribendi (nam charta parvo parabilis nondum inventa erat), at certe legendi<sup>5)</sup> et canendi arte instituebatur; in monasteriis et scholis cathedralibus et capituloibus praeter doctrinam sacram eae potissimum disciplinae juventuti tradebantur, quae trivii et quadrivii nominibus comprehenduntur, h. e. grammatica, rhetorica, dialectica, quae trivium, arithmeticæ, geometria, musica, astronomia, quae quadrivium constituebant; postremum ii juvenes, qui ordines sacros appetebant, altioribus theologiae disciplinis operam navabant. Grammaticæ studium ad Latinam potissimum linguam spectabat, qua tunc omnia fere negotia publica gerebantur et plerique libri scribebantur. Non ubique hujus linguae cognitio ex probatis veterum Romanorum monumentis hauriebatur; — paucis tantum, priusquam ars typographica inventa esset, ad ea aditus patebat; — sed, quidquid ex antiquitate servatum est, illorum temporum monasteriis debemus, et, si non ubique veteres scriptores, at certe in omnibus monasteriis et ecclesiis majoribus scripta reperiebantur lectu digna et ad exacuendam ingenii aciem non minus, quam ad pietatis et honestatis studium excitandum idonea. Multa sane, quae nunc plurimi aestimantur in juventutis institutione, neglecta olim jacebant. Alia erat vitae tam publicae quam privatae ratio, nec scholae, sed vitae et plurimum quidem vitae aeternae discendum esse, scholarum rectores existimabant. Sed ex his scholis prodierunt, quibus magnificentissima nostra architecturae monumenta debemus; ex his item, quum intelligendi autores non ignobiles, tum vates prodierunt sine Homero carmina pangentes Homero non indigna. Christiani episcopi temporibus tota Germania cantibus resonabat, quos etiamnunc admiramus<sup>6)</sup>. Totius vitae tunc laeta hilarisque erat facies, et superstitutionibus illa aetas multo minus obnoxia, quam ea, quae secuta est, phonascorum, quamquam haec scholas in melius se mutasse gloriatur.

<sup>3)</sup> Pertz, Monum. German. histor. T. III. (Legg. I.) p. 65. Cf. Schwarz, Geschichte der Erziehung T. II. p. 87. coll. p. 102 sq.

<sup>4)</sup> Mansii Collect. Concil. XIV. 1008 (Synod. Rom. 826. can. 34): „De quibusdam locis ad nos referuntur non magistros neque curam inveniri pro studio litterarum. Idcirco in universis episcopiis subjectisque plebibus et aliis locis, in quibus necessitas occurserit, omnino cura et diligentia adhibeatur, ut magistri et doctores constituantur, qui studia litterarum liberaлиum artium habentes, dogmata assidue doceant, quia in his maxime divina manifestantur atque declarantur mandata.“

<sup>5)</sup> Cf. Schwarz, Gesch. d. Erziehung. T. II. p. 131.

<sup>6)</sup> Dico epica carmina (Nibelungen, Gudrun etc.) et lyrice (Minnelieder) quae Suevicorum imperatorum temporibus debemus. De Latinis cf. Leyseri Dissertatio de facta mediæ aevi barbarie, in primis circa poesin Latinam. Helmst. 1719., item ejusdem Historia poetarum et poematum mediæ aevi. Hal. 1721. K. v. Raumer, Geschichte der Pädagogik, ed. 2. 1848. T. I. p. 5: „Beim Mangel lateinischer Klassiker verlor man freilich mehr und mehr die Stylnorm des goldenen und silbernen Zeitalters aus den Augen und bildete das Latein auf eigene Hand fort. Aber in solchem Latein sind jene unsterblichen Kirchenlieder gedichtet, jenes Dies irae, Media vita! Ein einziges solches Kirchenlied wiegt alle, dem Horaz und andern alten Dichtern nachgeäfftsten, Poemata der späteren Philologen auf.“

Quot scholas qualesque Christianus episcopus in terra Culmensi aperuerit, memoriae non est proditum. Hoc tantum constat, duo ab eo condita esse monasteria, alterum fratrum, alterum sororum Cisterciensium<sup>7)</sup>. In hoc, credo, educabantur puellae, in illo pueri, quotquot recipi poterant, instituebantur; reliquos et plebem, ubi ecclesiae scholaeque deerant, nescio an evangelii praecones fixa sede vacantes erudiverint. Ad altiora studia colenda juvenibus hic praeparatis praeter Germaniac scholas<sup>8)</sup>, ni fallor, etiam Dobrinensis illa schola patebat, curae fratrum ordinis S. Benedicti commissa, cuius Petrus de Dusburg, antiquissimus scriptorum Prussicorum, mentionem facit<sup>9)</sup>. Vix enim dubium videtur, quin etiam haec schola, quae qua auctoritate floruerit, inde apparet, quod intra ejus loca et extra aliquanto post a Lithuanis sexaginta clerici, tam ordinati, quam inordinati, et duo fratres ordinis S. Benedicti et septem parochi occisi esse feruntur, a Christiano episcopo originem duxerit. Erat enim in ditione fratrum militiae Christi, quos ipse episcopus ibi collocaverat, ut dioecesim suam tuerentur. In his igitur scholis juvenes Pruteni doctrinae sacrae et literarum elementis instituebantur, in his item, quotquot idonei reperiebantur, vel ad interpretis vel ad sacerdotis munus suscipiendum informati esse videntur. Quam uberes laetasque ecclesiae haec Christiani episcopi studia et instituta fruges tulerint, nemo est qui nesciat. Per totam fere terram Culmensem templa christiana surgebant, et patris instar episcopus a neophytis colebatur<sup>10)</sup>.

Sed quominus tota Prussia sic rei christiana conciliaretur, paganorum in terram Culmensem et Masoviam incursionibus impeditum esse constat. Ad has enim repellendas a Masoviae duce arcessebantur ordinis Teutonici equites, iisque mox majorem sibi Prutenorum invidiam collegerunt, quam ut sola allocutione et institutione gens barbara ad fidem traduci se pateretur. Ipsi enim igni ferroque per Prutenorum agros ruebant. Sed tamen nunquam, ne inter bellorum quidem tumultus, inchoatum a Christiano episcopo opus plane intermissum est. Initio enim praeter fratres ordinis praedicatorum, quos pontifex equitibus socios adjunxerat<sup>11)</sup>, etiam sedis apostolicae legali, tum ad constituendas dioeceses, tum ad pacem inter Prutenos et ordinis Teutonici fratres restituendam in Prussiam missi, detrimenta populo illata doctrinae atque eruditionis christiana munere pro viribus compensare studuerunt. Sic Guilelmus legatus, episcopus Mutinensis, inter annos 1225—1242 non raro in Livonia et Prussia comoratus, cognita Prutenorum lingua, non solum ipse multos paganos ingenio et sapientia sua ad fidem attraxisse, sed etiam Donati grammaticam, librum eo tempore in scholis usitatum, maximo cum labore in linguam barbarem transtulisse dicitur<sup>12)</sup>. Alberto item legato, Prussiae ac Livoniae post Christiani episcopi obitum archiepiscopo, quantopere populi eruditio cordi fuerit, inde colligere licet, quod simulac

<sup>7)</sup> Dreger Cod. Pom. dipl. 58. Werner Annal. Oliv. f. 348. Alterum monasterium equites Teutonici post fratribus ordinis praedicatorum tradiderunt. Cf. Watterich, Die Gründung des Deutschen Ordensstaates in Prenssen 1857. p. 31. 165. Qui omnium maxime de re scholastica meriti sunt monachi, fratres ordinis S. Benedicti, quique ab his profecti sunt, Cistercienses, eos ordo Teutonicus prohibuit, quominus in Prussia domicilia sibi constituerent.

<sup>8)</sup> Henricus Monte aliisque Pruteni in Germania educati esse feruntur. Cf. Dusburg Chron. Pruss. III. 86. 162. Voigt Gesch. Preuss. II. p. 293.

<sup>9)</sup> Dusburg Chron. Pruss. III. 339. p. 397. Omissa est huius scholae commemoratio apud Voigt Gesch. Preuss. T. IV. p. 363.

<sup>10)</sup> Cf. Voigt Gesch. Preuss. I. p. 430 sqq.

<sup>11)</sup> Raynald. Annal. eccles. ad ann. 1234. nr. 58. Acta Bor. I. p. 418. Voigt Gesch. Preuss. II. p. 295.

<sup>12)</sup> Alberici Chron. p. 527: „In Prutia vero, quae est ultra Polonię et ultra Pomeranię Episcopus Mutinensis Guillelmus missus a Papa Legatus ingenio et sapientia sua, non fortitudine, multos paganos ad fidem attraxit et linguam eorum ex maxima parte didicit. Insuper principem artis grammaticae, scilicet Donatum, in illam barbarem linguam cum maximo labore transtulit; erant autem hoc anno (1228) in illis partibus quinque tantummodo provinciae paganorum acquirendae, ista videlicet, de qua agitur Prutia, Curlandia, Lethonia, Withlandia et Sambria“. Voigt I. c. I. p. 460. Albericus Cisterciensis, a quo haec relata sunt, eadem aetate cum Guilelmo Mutinensi et quidem in Campania Gallica vixit; cf. Jöcher, Gelehrten-Lexicon. I. p. 194.

Prussiam intravit, anno 1246, ab Innocentio IV. summo pontifice omnes abbates, priores, alii regulares moniti sunt, ut ecclesiae in Prussia vicinisque terris constitutae ex abundantia sua libros offerrent vel scriptores librorum suis sumptibus sustentarent iisque chartarum etiam auxilium impenderent<sup>13)</sup>. Nec minorem rei scholasticae curam Jacobus legatus, archidiaconus Leodiensis, habuisse videtur. Certe in privilegio, quod anno 1249 Prutenis concessit, de populi institutione et eruditione non minus, quam de aedificandis novis ecclesiis et comparandis libris sermo est. Inter alia enim: „facient“, inquit, „et cavebunt (Pruteni), quod debent boni cavere et facere Christiani, prout a praelatis suis et aliis viris bonis catholicis (i. e. a magistris) fuerint eruditii“; quae verba, vix est dubium, quin de futura Prutenorum in scholis institutione interpretanda sint<sup>14)</sup>.

Constitutis vero singulis Prussiae dioecesibus et territoriis tam ordinis Teutonici equites, quam episcopi, in suo quisque territorio viam ab his legalis et Christiano episcopo munitam longius persecuti sunt, et, si non equites Teutonici, quos Voiglius incuriae incusat<sup>15)</sup>, at certe, quum complures reliquorum episcoporum, tum, qui omnium maxime sui juris fuerunt, praesules Varmienses in universum tam instituendis scholis et propagandis literarum studiis, quam erigendis ecclesiis, pro viribus consulerunt. Testatur hoc Lucas David<sup>16)</sup>, qui optime res Prussicas noverat, et compluribus indicis testimonium ejus comprobatur.

In Varmensi dioecesi jam statim a primordiis episcopatus tam scholae, quam ecclesiae, et quidem duplex scholarum genus, populares scholae et una cathedralis, conditae sunt.

De cathedrali enim schola instituenda non obscure jam Anselmus, primus episcopus Varmiensis<sup>17)</sup> (1250—64?), loquitur in literis anno 1260 datis, quibus consilium suum ecclesiae cathedralis erigendae, jam anno 1251 pronuntiatum<sup>18)</sup> et capituli institutione 1255 apertius etiam declaratum<sup>19)</sup>, ad effectum adduxit. Ait enim, auctis dioecesis suae ecclesiis parochialibus necesse esse matricem ecclesiam erigere, e cuius gremio illae quam reliqua, quae ad salutem animarum pertineant, tum salubrem doctrinam percipere possint, simulque in sedecim canonorum numero<sup>20)</sup>, quos ecclesiae cathedrali

<sup>13)</sup> Cod. dipl. Pruss. I. 67. Hinc postea Nicolaus V. summus pontifex anno 1451 ordinis Teutonici magistrum generalem rogavit, ut ipsi copia fieret voluminum, quae in monasteriis aliquisque locis per Prussiam delitescerent; quo ea conquereret et transcriberet ad locupletandam bibliothecam Romanam. Cf. Pisanski Histor. liter. Pruss. 1762. I. p. 21. Beiträge z. Kunde Preuss. VI. p. 80.

<sup>14)</sup> Dreger Cod. Pom. dipl. nr. 191. Hartknoch ad Dusburg. Chron. Pruss. p. 463 sqq.

<sup>15)</sup> Voigt Gesch. Preuss. III. p. 559. V. p. 387. VI. p. 753 sqq. coll. Luc. David Preuss. Chron. I. p. 105 sqq. Hartknoch Dissertat. de reb. Pruss. p. 174 sqq. Willich. ap. Hartknoch. I. c. p. 53. De ordinis Teutonici sacerdotibus cf. Voigt, Gesch. Preuss. T. III. p. 125. 572. coll. II. p. 102—119.

<sup>16)</sup> Lucas David Preuss. Chron. T. II. p. 122: „Sonderlich aber teten sie (die Ritter) grossen Fleiss bei denen, so zur Schulen lust hatten, also auch, das sie derer viel in Deutsche lande vorschickten, liessen die mit Fleiss vnterweisen auff das man im lande pfarrherren vnd prediger haben mochte, die Preusche sprache kundig waren. Doch theten die Bischöffe hierin grossen vleiss, wandten auch viel darauf vnd mehr denn die Bruder des Ordens. Denn noch kurez vor meinen zeitten hat man im Schlosse Heilsbergk eine Schule gehalten vor die Preusche Knaben, vnd wirt das gemach oder Ire schule, dorinne sie Ire läre vnd vbunge gehabt noch auf den heutigen tag genennt. Auch hab einen pfarhern gekannt im Allensteinischen zu Gross Klebergk; der noch in derselben Schulen studiret hatte. Solche Sorge hatten die Bischoffe, damit Ire Schäfflein wol mogten versorget werden.“

<sup>17)</sup> De Henrico, electo ante Anselmum episcopo Varmiensi, sed non confirmato, praeter commentationem nostram de primo episcopo Varmiae (Brunsb. 1854) conferendum est diploma a Voiglio omissum, quod exstat in Baluzii Miscellan. lib. VII. Paris. 1715. tom. 7. p. 478.

<sup>18)</sup> Cod. dipl. Pruss. II. 1. Lilenthal, Bischofswahl im Ermlande p. 51.

<sup>19)</sup> Cf. Cod. dipl. Pruss. I. 100., ubi Mr. Tylo canonicus Varmiensis inter testes commemoratur.

<sup>20)</sup> Minus diligenter ecclesiis suis consuluerunt Pomesaniensis episcopus et Sambiensis, ex ordine Teutonico prorsus pendentes. Pomesaniense capitulum anno demum 1285 ab Alberto episcopo Ulmae versanti, Sambiense eodem anno a Christiano

praefecit (Tylo canonicus, magister septem artium, jam anno 1255 commemoratur), quarto loco scholasticum h. e. supremum quum universae rei scholasticae, tum scholae cathedralis praefectum, nominat<sup>21</sup>). Ac revera hanc scholam, si non ipso Anselmo<sup>22</sup>), at certe altero et tertio episcopo Varmensi jam effloruisse, ex eo intelligitur, quod in literis Henrici Flemming, secundi episcopi († 1300), a quo cathedralis ecclesia Brunsberga Frauenburgam translata est, inter testes praeter complures magistros canonicos et rectorem quondam Culmensem<sup>23</sup>) etiam Volquinus scholasticus<sup>24</sup>), paulloque post, sc. anno 1314, in testamento Henrici praepositi praeter Bartholdum scholasticum<sup>25</sup>) etiam „scholares“ cathedralis ecclesiae commemorantur<sup>26</sup>). In libro antiquo antiquorum anniversariorum anno 1393 conscripto etiam de rectore hujus scholae sermo est<sup>27</sup>). Accedit, quod, quum saepius, tum anno 1215 a sede apostolica lege sancitum erat, ut in cathedralibus et collegiatis ecclesiis magistri instituerentur, qui clericos earum ceterosque discipulos grammaticen et reliquas scientias gratis docerent, in metropolitanis autem ecclesiis praeterea magister theologicus, qui (una cum sociis suis) sacram scripturam et quae ad animarum curam spectant, presbyteris aliisque ecclesiasticis traderet<sup>28</sup>).

Ut vero cum cathedrali ecclesia schola cathedralis, ita cum reliquis ecclesiis simul scholae populares in dioecesi Varmensi surrexerunt.

Luculentum de hoc scholarum genere instituendo item Anselmi, primi episcopi Varmiensis, exstat testimonium. Literis enim anno 1251 datis ordinis Teutonici fratribus permittit, ut in ea dioecesis sua parte, quae ad ipsorum territorium pertineat, ipsi possint magistros scholarum adsciscere vel ab officio amovere, prout viderint expedire<sup>29</sup>). De popularibus igitur scholis instituendis hic jam transactum est, simulatque episcopus dioecesim suam intravit, vix duobus hic oppidis Elbingo et Brunsberga ortis. Revera autem institutas esse scholas, quales institui episcopus voluit, documento est ipsa, quam paucis

de Mulhusen episcopo institutum est (cf. Voigt Cod. dipl. Pruss. I. 172. et Gebser, Dom zu Königsberg p. 46.) Uterque sex fratres ordinis Teutonici canonicos elegit, in quorum numero neque magister artium neque scholasticus commemoratur. Uterque simul quaeritur, in episcopatu suo, quod tamdiu collegio canonicorum caruerit, fidem minime percipere potuisse incrementum. Duo priores denique episcopi Sambientes (1255—1294) continenter fere peregrē versati sunt; cf. Gebser l. c. p. 52.

<sup>21</sup>) Diploma illud exstat in commentatione nostra de primo episcopo Varmiae p. 38 sqq. De scholastici officiis cf. Aschbach, Allgem. Kirchen-Lexikon s. v. Stift. T. IV. p. 955: „Eins der wichtigsten Aemter war das des Scholasters (Scholasticus), Schuldirectors, welchem die Aufsicht über die an der Kathedrale errichteten oder auch von ihr ausgegangenen Schulen anvertraut war, ohne dass er grade verpflichtet war, selbst Unterricht zu ertheilen; derselbe hatte zugleich die Abschreiber (Copisten, vor der Erfindung des Buchdruckes bekanntlich zahlreich und von Bedeutung) zu überwachen, und die abgeschriebenen Bücher durchzusehen und zu verbessern.“

<sup>22</sup>) Nam paullo post conditam ecclesiam cathedralem Brunsberga urbs exorta Prutenorum seditione incendio deleta est; cf. Dusburg III. 135.

<sup>23</sup>) Cf. lib. privil. antiq. ms. in Archivo episc. Varm. fol. 10 sqq. Rector ille quondam Culmensis utrum scholae an ecclesiae rector fuerit, incertum est.

<sup>24</sup>) In literis anno 1297 datis, quae exstant in lib. privil. antiq. l. c. fol. 4. Sambiensis scholae cathedralis constitutio in annum 1304 incidit; cf. Gebser Dom zu Königsberg p. 63. Lucas David Preuss. Chron. T. IV. p. 112. Pomesaniensis ecclesiae scholasticus anno 1343 inter testes commemoratur; Voigt, Cod. d. Pr. III. 41.

<sup>25</sup>) Cf. not. sq. Commemoratur idem scholasticus anno 1308 in privilegio Heilsbergensi et anno 1318 in privilegio Frauenburgensi apud Voigt Cod. dipl. Pruss. II. 56 et 87.

<sup>26</sup>) Gravissimum illud diploma in Epimetro edendum curavimus.

<sup>27</sup>) Cf. Archiv. capit. Varm. L. nr. 15. Lib. antiq. annivers. fol. 1: „Item Heynricus de Sonnenberg quondam praepositus Warmiensis habet quatuor anniversarios seu memorias etc. In singulis memorialis tres marc. dominis canonicis, dimid. marc. vicariis choralibus et ministris ecclesiae, rectori scholae et succentori et pulsatoribus dimid. marc.“ Fol. 4: „In crastino S. Mauricij est anniversarius quondam domini Tylonis Slusow cantoris et habet tres marcas quae sic distribuantur etc. rectori tres solidi etc.“ Fol. 5: „E censu praedicto dantur annuatim rectori vel magistro scholae decem marcae“.

<sup>28</sup>) Richard Analysis Conciliorum. T. II. p. 149. Dillenburger, Gesch. d. Gymnas. zu Emmerich. Progr. 1846. p. 3.

<sup>29</sup>) Dreger Cod. Pom. dipl. nr. 221. Baczko Gesch. Preuss. I. p. 389: „Quod etiam magistros scolarum in suis duntaxat locis instituant et destituant, prout viderint expedire.“ Cf. not. 32.

annis post effloruisse vidimus, schola cathedralis; nam haec sine popularibus scholis neque constitui poterat neque consistere. Brunsbergae igitur et Elbingi reliquisque locis, ubi primae dioecesis Varmiensis ecclesiae parochiales conditae sunt<sup>30)</sup>, necesse est jam priusquam schola cathedralis institueretur, populares scholae fuerint, quamquam in literarum monumentis, quae aetatem tulerunt, Elbingensis scholae anno demum 1300 vel 1319 civicaeque scholae Brunsbergensis in iis documentis, quae inspicere mihi licuit, serius etiam mentio fit<sup>31)</sup>). Omnino in diplomatis antiquis multo rarius de scholis, quam de ecclesiis sermo est; etenim ex ecclesiae gremio profectae, scholae pro institutis ecclesiasticis habebantur. Accedit, quod rectores ac magistri scholarum non praedia, ut parochi, sed, in certum aliquod tempus conducti, annum salarium accipiebant<sup>32)</sup>.

Reliqua commentationis pars propediem in lucem emitteatur.

## EPIMETRUM.

Henricus praepositus Varmiensis testamento suo anno 1314 Nonis Maiis facto, anno 1320 Nonis Januariis ab Eberardo episcopo confirmato, altare quoddam et vicariam ecclesiae cathedralis Varmiensis constituit, capitulo centum mansos agri legat et definit, quid canonicis et vicariis et scholaribus ecclesiae cathedralis, quoties anniversariis ipsius celebrandis interfuerint, tribuendum sit.

Archiv. Capit. Varm. C. nr. 26.

*In nomine domini Amen. Nos Eberhardus dei gracia Warmiensis Ecclesie Episcopus omnibus tam viventibus quam victuris ad perpetuam rei memoriam profitemur et presentibus protestamur Quod honorabilis vir quondam Henricus felicis recordacionis Ecclesie nostre predice prepositus, sanus corpore et ratione vtens plenissime, matura deliberacione prehabita mera liberalitate in remedium anime sue nec non progenitorum et amicorum suorum testamentum condidit et conditum ac conscriptum nobis tradidit et exhibuit in hec verba:*

*Quoniam fatorum lege concludimur vniuersi juxta illud: Omnia sunt hominum tenui pendentia filo<sup>33)</sup>), Igitur oportunum est diri fati diem extremum repentinumque maturo deliberacionis examine prevenire, Hinc est, quod Ego Henricus de Sunnenberch Warmiensis Ecclesie prepositus filius quondam Henrici Clipeatoris de Wrat. per dei graciam sanus mente et corpore rebus et bonis meis omnibus tam mobilibus quam immobilibus prout nunc taliter disponendum scilicet quod de eisdem meis rebus ac bonis mea debita omnia tam in Elbingo quam alibi vbiunque per scripta vel testes probata fuerint integraliter persolvantur, Sane cum toto mentis conamine semper nisus fuerim aliqualem saltem et utinam deo gratam eorum quorum rebus ac eleemosinis usus sum cultum augendo divinum perpetuam relinquere memoriam medietatem molendini super aquam baudam prope montem Sonnenberch redditus trium marcarum molendini super ricum qui fluit inter dictum montem Sunnenberch et villam Wildenberch, quod Vuchshol dicitur et unam marcam cum media in molendino prope Andrewesdorph et octo pullos ibidem*

<sup>30)</sup> Dreger l. c. nr. 191. Hartknoch ad Dusburg. p. 469.

<sup>31)</sup> Fuchs Nachricht vom Elbingschen Gymnas. 1809. p. 2. Beschreibung der Stadt Elbing II. p. 24. De Brunsbergensi schola civica cf. Acta Praetor. Brunsberg. mscr. nr. 84. (1366—1514) fol. 22. 6: „Item wen der rat eynen nugen schulmeister ader eynen nugen glockener setzet vnd sy den belibet haben zo sullen sy deme vorg(enannten) herrn pfarrer boten senden vnd offenbaren Im daz sy dy vorg(enannten) amechte vorlegen haben vnd bitten jn daz ez syn wille sy vnd das hat her voryawort vor dem sitzenden rate daz her do wider nicht sprechen wil vmmee guter eyntracht wille, vnd so wil der rat den vorg. amechtis luten bevelen daz sy dem pfarrer gehorsam vnd bequeme sullen syn mit allen dinghen dy van alder gewonheit czu der Kirchen haben gehort . . . Alle diese vorg. artikel hat der vorg. herre pfarrer gelibet vnd voryawort vor dem sitzenden rate anno domini MCCCCIII. proxima feria sexta post nativitatem Christi.“

<sup>32)</sup> Cf. Schwarz, Geschichte der Erziehung II. p. 179. coll. 172. Cf. not. 29.

<sup>33)</sup> Legitur hic versus in Ovidii Epist. ex Ponto IV. 8, 35.

sic quod ad duodecim marcarum pensionem predicti redditus laute se extendant et duos mansos ubi michi videbitur assigno lego dono et ordino ex nunc ad unum altare in Kathedrali ecclesia warmensi ad perpetuam vicariam, Quam in quam vicariam preposito qui pro tempore fuerit attribuo conferendam, quatenus idem vicarius in vigiliis et horis canonicas in choro deserviens ad minus tres missas in septimana unam pro defunctis, secundam pro peccatis, terciam de domina nostra salva honestate et devocione debita dicere et pro mea parentumque meorum magistri Wytilonis, Phyllippi Levoldi Conradi de Borow<sup>2)</sup> et omnium nostrorum antecessorum et benefactorum animabus exorare deum perpetuo teneatur. Et ut idem vicarius liberius divinis vacare possit officiis si in prefatis molendinis duodecim marcarum redditus diminuti fuerint prepositus qui pro tempore fuerit defectum hujus modi de aliis meis redditibus, quos lego et legavi Capitulo prout patet in sequentibus adimplebit, Disponens ad opcionem ipsius prepositi et Capituli si sepedicto vicario alio in loco vel locis competentibus duodecim marcarum redditus assignare voluerint, ut molendina supradicta suis possint usibus applicare. Preterea cum nec pia mentis intencio proficiat si dum potest per evidentiam operis non lucescit, Capitulo Warmensi predicto cui pro honoribus et beneficiis multimodis obligatum recognosco me ad antydata centum mansos quos juxta montem Sunnenberch hereditarie in feodum possideo et quinquaginta in Schaphberch cum medietate montis in Sunnenberch lego dono dispono et assigno cum suis pertinenciis et juribus secundum privilegiorum meorum ad litterarum continenciam sub modis et condicionibus que secuntur, Quarum prima talis est quod omnia bona mea predicta habere et tenere volo in potestate mea liberaliter ad tempora vitae meae, secundum quod ea tenui hactenus et possedi, Et post discessum meum C. de Borow predictus quinquaginta mansos juxta montem Sunnenberch in allodio et in villis Sunnenberch et bethendorph una cum judiciis majoribus et minoribus in eisdem quinquaginta mansis libere et absque serviciis que reverendo domino meo Episcopo debentur, quia de illis providebit Warmiense Capitulum, habebit temporibus vite sue. Quo sublatu de medio quinquaginta mansi predicti cum iudiciis jure pleno ad Capitulum devolcentur, preter medietatem predicti molendini super aquam baudam, quam eidem Con. de Borow dedi jure hereditario possidendum. Insuper pro quatuor anniversariis in predicta Ecclesia Warmensi celebrandis annis singulis perpetuo, Quorum primus erit in crastino beate Agnetis, secundus in crastino Sancti Johannis ewangeliste ante portam latinam, tertius tercia die post assumptionem beate Marie virginis, quartus vero secundum evenitum mei obitus, lego dono et dispono de bonis meis predictis decem et octo marcarum redditus per prepositum, qui pro tempore fuerit prout sequitur distribuendis videlicet quod in quolibet anniversariorum preditorum Canonicas qui interfuerint anniversariis tres marce, vicariis et scolaribus una marca et pauperibus marca dimidia tribuantur<sup>3)</sup>, omnibus aliis bonis et juribus meis, predictis dumtaxat exceptis, communibus Warmensis Capituli usibus applicandis, ac eciam preter duas marcas quas preposito qui pro tempore fuerit de predictis bonis meis annis singulis assigno, ut sic temporalis sallarii paritate monitus, pium legantis affectum considerans, in exequendo premissa caritate duce plus pium affectum adhibeat, ut labor temporalis ei crescat ad bravum sempiternum, Hujus vero testamenti et ordinacionis executionem honorabilium et discretorum virorum dominorum, prepositi successoris mei, Henrici custodis Jo. de Hollandia et Jor. de Kirsberch plebanorum et concanonicorum meorum sidei in solidum recommitto, Ceterum quia nonnulli dente toxicato invidia facta rite et racionabiliter ordinata lacerant quantum possunt, Ideoque ordinacionem et donationem presentem que si nomine testamenti valere nequiverit codicilli tamen aut ultime voluntatis nomine ipsam valere cupio conscriptam sigillo meo novo sigillari feci adhibitis testibus infra scriptis. Dominis et fratribus meis Her. decano, ber. Scolastico<sup>4)</sup>, Henr. Custode, N. Cantore,

<sup>2)</sup> Conradus de Borow etiam in privilegio Heilsbergensi anno 1308 emissso inter testes commemoratur. Voigt. Cod. dipl. Pruss. II. 56.

<sup>3)</sup> Cf. Commentat. not. 27.

<sup>4)</sup> Hoc est Bertholdo scholastico; cf. Commentationis not. 25.

*Al. de Mergenborch, Jo. de Hollandia, Jo. de Brunsberch, Joanne de Elbingo, Jor. de Krisborch, et magistro Arnoldo, Canonicis Warmiensibus et quam pluribus fide dignis. Actum vrovenborch in Ecclesia kathedrali warmensi in choro ante altare beate virginis anno domini M<sup>o</sup>CCC<sup>o</sup>XIIIJ<sup>o</sup> nonas May.*

*Et quia predictus Henricus prepositus una cum Capitulo nostro predicta per nos petiit confirmari, Nos deliberacione sollicita et tractatibus maturis cum Capitulo nostro prehabitis tunc eatenus confirmavimus et verbotenus approbabimus sicut et nunc testimonio presencium confirmamus, laudamus ac perpetue valituris approbamus, scilicet quod prepositus et Capitulum sepedicti de monte Sunnenberch et alodo et eciam de villa Sunnenberch et de omni jure quod eis ex donacione predicta competebat in eisdem voluntarie nobis cesserunt. Ita quod ipsorum proprietas cum omni jure et judicio post obitum Conradi de Borow ad mensam nostram libere devolvatur. In quorum recompensam preposito et Capitulo sepedictis deditimus et contulimus tunc sicut et nunc data et collata eis presentibus recognoscimus directum dominium cum judiciis honoribus et utilitatibus quibuslibet prout Capitulum alia sua bona possidet in predictis bonis omnibus molendinis villis, nemoribus et aliis quibusunque, Ceteris sicut in predicto testamento conscripta sunt nihilominus in suo robore permansuris. In quorum omnium testimonium et memoriam perpetuam presentes litteras deditimus sigilli nostri munimine roboras. Datum anno domini millesimo trecentesimo vicesimo Nonas Januarii.*

---

# LECTIONES.

## A. ORDINIS THEOLOGICI.

### **Dr. Andr. Menzel, P. P. O. h. t. Decanus.**

- I. Praemissa generali in studium theologicum introductione tradet Apologetiken diebus Lunae et Jovis h. II—III.
- II. Theologiam dogmaticam tradere perget excepto die Saturni quotidie h. X—XI.
- III. Repetitiones et disputationes dogmaticas moderabitur die Saturni h. X—XI.

### **Dr. Mich. Jos. Krüger, P. P. O.**

- I. De antiquitatibus sacris Hebraeorum disseret diebus Mercurii et Saturni h. IX—X.
- II. Vaticiniorum Jesaianorum partem posteriorem [capp. XL—LXVI] interpretabitur diebus Lunae et Jovis h. IX—X.
- III. Epistolam Paulinam ad Romanos datam explicabit diebus Martis et Veneris h. IX—X.

### **Lic. Andr. Thiel, P. P. E.**

- I. Historiam ecclesiasticam aevi recentioris enarrabit excepto die Lunae quotidie h. XI—XII.
- II. De antiquitatibus ecclesiasticis disseret diebus Martis Jovis et Veneris h. VI—VII.

### **Lic. Ant. Pohlmann.**

- I. Theologiam moralem tractabit ter per hebdomadem h. VIII—IX.
- II. Introductionem historico-criticam in sacros V. et N. T. libros dabit nec non de Critica atque Hermeneutica biblica disputabit ter per hebdomadem h. XI—XII.

## B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

### **Dr. L. Feldt, P. P. O. h. t. Decanus.**

- I. Physicen docebit experimentisque illustrabit et Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae et Jovis h. XI—XII.
- II. Astronomiam et sphaericam et theoricam exponet diebus Martis et Veneris h. XI—XII.
- III. Theoriam generalem linearum et superficierum curvarum docebit diebus Lunae et Jovis h. II—III.
- IV. Calculum integralem tradere perget et doctrinam de integralibus definitis tam simplicibus quam multiplicibus exponet diebus Martis et Veneris h. XI—XII.

**Dr. M. Trütschel, P. P. O. Des.**

- I. Metaphysicam docebit quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis h. VIII—IX.
- II. Logicam docebit ter per hebdomadem diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. vespertina V—VI.
- III. Aristotelis de anima libellum offert interpretandum semel per hebdomadem die et hora definienda.
- IV. Repetitoria et disputatoria instituet semel per hebdomadem die et hora definienda.

**Dr. F. Beckmann, P. P. O. Des.**

- I. Sophoclis Antigonam interpretabit ter per hebdomadem h. X—XI.
- II. Horatii ad Pisones epistolam explicabit aut Tertulliani Apologeticum bis per hebdomadem h. X—XI.
- III. Rhetoricam docebit bis per hebdomadem horis definiendis.
- IV. Exercitationes philologicas instituet semel per hebdomadem hora definienda.

**Dr. J. M. Watterich, P. P. E.**

- I. Aevi recentioris historiam enarrabit quatuor per hebdomadem scholis matutinis suo tempore definiendis.
- II. Bellum Peloponnesiacum exponet, schol. mat. p. h. tribus, s. t. def.

**Publica doctrinae subsidia.**

Bibliotheca Lycei Regii Hosiani, cui praeest Prof. **Dr. Feldt**, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XI—XII studiosis patebit. — Apparatus physicus et instrumenta mathematico-astronomica cum ad lectiones adhibebuntur, tum aditus suo loco potentibus lubenter dabitur.

**Stipendium Scheillio-Bussianum.**

Pro praemio assequendo ut concerent, Commilitones evocantur hac proposita quaestione:

De Catechumenorum in antiqua ecclesia informatione.

Praemium constitutum est XXI Imperialium. Tempus exhibendarum scriptorum terminatum est d.  
1. Juli MDCCCLVIII.

*Stadtbibliothek Chork*